



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas**

**Antverpiæ, M.D.C XXX III.**

S. Fridolinvs C. 6. Martii.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70962](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70962)

sibi inesse, fueruntque mali dæmones ludus CONONI. Certe pro imperio suo in illos, alios agris custodes addidit, alios testis clausos terrâ abdidit, & orbe terrarum vel mirante vel ridente, ædes inædificavit pessimis fundamentis. *Ex Menæis.*

## S. FRIDOLINVS C. 6. Martii.

**F**elices exules, qui ut patriam querant, exeunt patriâ! His FRIDOLINVM jure accenseas. Hibernus domo ex primâ nobilitate, tunc gentilitia decora se aucturum credidit, si superstitionem expugnatum iret, patriamque fidem extra patriam proferret. Igitur fidei signa Rauracis aliisque Rheni accolis intulit, & rebelles nuper cælo animos longè plurimos debellavit. Sub hæc visum est rei Christianæ tutandæ munitionem cœnobium exædificare. Id, quod hodie videmus, Sækingense est, cui condendo Vrsus vir apprimè nobilis patrimonium suum devovit. At invidia etiam hîc cælo divitias suas invidit. Doluit frater Vrsi Landulphus in hereditatem paternam secum DEVM venire, & homo, fratre demortuo, ausus est DEO sua eripere. Magis FRIDOLINVS indoluit; &, quia testis è vivis nemo unus suppetebat, ad mortuos provocavit. Audit in tumultu Vrsus, prodit & cum FRIDOLINO millia  
pas-

passuum V. Ranckurchium (ibi enim fortè jus Prætor dicebat) contendit, testis utique omni exceptione major. Nempe minimè placere Landulpho iudicio cum morte contendere; ultro etiam suam portionem heredi DEO cedere, & assem jam promittere, qui semissem nuper negaverat. Quid ad ista vos, quibus hodie hereditate suâ cælum excludere familiare jam est? imò vos, quid? qui donatam à Majoribus vestris ereptum iterum itis. Ad illos, ad mortuos inquam provocant sacra & sacri homines. Non surgunt, dicitis? at time. Surgent. *Ex vita.*

## S. COLETA V. 6. Martii.

COLETA in vivis jam ea spectacula cernerit, quæ puris mentibus CHRISTVS olim promisit, ut quæ Hunc & Calites alios familiares quotidie in oculis habuit. Quare vaticiniis ac miraculis clara, & à D. Ioanne Apostolo, anulo CHRISTO desponsa, ab hoc ipso tandè in cælos deduci visa est. Epulum Eucharisticum ingenti fame appetiit; & hinc, favore in paucis memorando, eundem convivatorem & cibum quandoq; nacta, CHRISTVM è CHRISTI manu accepit. Aspera quæq; ferre ejus amore ita avebat, ut omnes Martyrum cruciatus lubens volens perferret, toties prope Martyr dicenda, quot